

Senor retavira V^o en el Rey, no halla cosa
por aqui y en caso, y añeo conclusiones, las
blas san



GOBIERNO

DE ARAGÓN

THESES
PHILOSOPHICÆ
PROPUGNANDÆ

AD. VINCENTIO BARRA,

CUI PATRONUS ADERIT P. Fr.
Josephus Varela, & Lopez, Philosophiæ,
& Sacræ Theologiæ Professor, & in Cæ-
sar-Augustana Universitate Doctor Theo-
logus, Ordinis Sanctissimæ Trinita-
tis, Redemptionis Cap-
tivorum.

THEATRUM EJUSDEM FAMILIÆ
Bilbilitanus Conventus. Die
Mensis Anni 1762.

DICATÆ

VIRO CLAR. DOM.

D. ANTONIO LOZANO.

Cæsar-Augusta : Apud Josephum Fort,
Typographum.

THESES
PHILOSOPHICAE
PROPUGNANDÆ

AD VINCENTIO BARRA,
CUI PATRONUS ADHÆRET P. R.
Josephus V. A. S. & L. O. P. S. Philologicus,
& Sæcæ Theologicæ Professor, & in Ce-
lar-Augustana Universitate Doctor Theo-
logus, Ordinis Sacrosanctæ Trinitatis
eius, Redemptionis Cap-
tivorum.

THEATRUM EJUSDEM FAMILIÆ
Bibliothecarius Convocatus Die
Mensis
Anni 1762.

DICATA -
VIRO CLAR. DOM.

D. ANTONIO LOZANO
Celsæ Augustæ: Apud Josephum For-
tylographum.



VIRO CLAR. DOM.
D. ANTONIO LOZANO.

Atavis editum Regibus Maecenatem,
Non famosæ imagines fecere illustrem:
Sed sapientiæ patrociniû fecit *Maecenatē*.
Te non tua extollit Nobilitas,
Quæ quos facit ipsa superbos,

A 2 Eos

Eos ignobiles indicat Nobilitas:
 Nihil enim est superbo Nobili vilius.
 Illud est maximum nobilitatis genus,
 Minervae patrocinium.
 Quod Tu cum philosophiæ meae praebes,
 Et probus Nobilitatem Tuam,
 Et iis exprobas Nobilitatem
 Qui sine Pallade nobiles videns volunt.
 Ergo Te Lozano patrono,
 Sese efferet benè cultum philosophia,
 Et, ut ita de nomine dicam Tuo, *Lozanum*.
 Illud factum benè, & apposite,
 Quod non in Arabiae desertis petrosae
 Nostra sit nata philosophia,
 Quae *Lozano* esset probanda Viro.

TIBI IGITUR CLAR. VIR, ET NOBILIS-
 SIMAE Maecenas, Philosophiae largif-
 sine cultor

Has Philosophicas Theses, D. O. C. Q.
 D. VINCENTIUS BARRA.

PATRO-



PATRONUS LECTORIBUS.



UID sit Philosophia? Quae ejus ori-
 go? Quae partes? Turpe esset la-
 tere, etiam Philosophiae Tyrones,
 discereque debent, quae circumfere-
 bantur dogmata apud Magos, Cal-
 daeos, Gignosophistas, Aegyptios
 cum Mercurio, Phanices, Thra-
 ces, & Gracos, quos fabellis, Mu-
 sica, & Carminibus docuit Orpheus. Sectas omnes à
 Ionica ad Neutonianam usque sexdecim recensemus,
 & adjungimus Clarissimorum Aristotelis, Gassendi,
 Descartes, Isaaci Newton, Varonis de Leibnitz, Chi-
 micorum, & Vitam, munera, elogia. Si forte Pitrho-
 cum Scepticis, & Academicis, Sensibus, Authoribus,
 Hominibus, rebusque ipsis Veritatem negavit in sin-
 gulis, ut omnium everteret Systemata, rejiciendus
 est, ut qui testes adhibet Dormientes, fatuos, &
 ebrios. Tamen sublimis est sapientiae sedes ideo insu-
 dandum, studendumque sine intermissione.

Ex illis Principem nos eligere deberemus; sed
 quâ sumus temporum inclementia, Aristoteli cogi-
 mur reverenter exorare: *Princeps esto noster*. Vero in
 illius verba non juramus: *Non enim aequum est, ut*
apud Christi Discipulos tantum Ethnici unius valeat au-
thori-

B

thoritas, ut etiam sine ratione vincat. (1) Ergo Aristotelem in omnibus sequi ignorantis : ubique rejicere, invidi : in quibusdam refellere, & in aliis amplecti, prudentis est, Critici, & veri Philosophi.

Aristotelis inter Sectatores V. P. Franciscus Suarez, Societatis Jesu pietatis, modestia, & Scientiæ exemplar est, & Doctor Eximius : ubique veneramur, etiam dum ab alta illius mente recedimus. M. Aug. Angelici Præceptoris, & volumina omnia non legimus, & tamen nihil facilius, quam Scholasticorum more, id est, subtilibus distinctionibus, eos in propriam vertere Sententiam, meminimus Ciceronis dictum : *Sequimur probabilia*. Hoc ergo in animo sumus, ut Authoribus sine ratione pugnantibus, derelictis, refellere sine pertinacia, & redargui sine iracundia debeamus.

Methodum Studendi, Præcepta conficiendis artefactis idonea, & quæ ad Philosophiam addicendum, scitu digna sunt, non ignoramus, nec acquiescimus nostrorum usui, ut inutilia pertractantes, oleum perdamus, & tempus. Criticè rationi, experientiaque assensum præbemus, & super omnia Autoritati Divinæ; non enim procedimus pecudum more, atque rejicimus illud : *Magister dicit*. Quibus jactis fundamentis, nobis occurrit

LOGICA

Hæc est *Facultas sciendi* : in plura, quæ dabimus, dividitur membra, & non unicam ejus recognoscimus causam. Ad aliarum Scientiarum actus intellectum illuminat sine concursu physico; adeo tamen ut ad Scientiam quamlibet præcisa omnimodè sit. Habitus, & actus definiendi, dividendi, enuntiandi, & syllogizandi realiter diversos esse tenet Eximius,

(1) *Maillon en los Estudios Monasticos, citando al Ilustrissimo Cano.*

mius, & nos. Prædici, & speculativi notitia decet Philosophum, & postquam eam nacti sumus, statui-
mus, & actum intellectus esse praxim, & Logicam dicendam adæquatè practicam. An hæc facultas sit Scientia, Ars, Virtus mentis, prudentia, &c. dicemus rogati.

Placet in Logicæ objecti explanatione, ne hic agendum agamus alibi, explanationem adducere, quæ Scientiis, & Potentiis adaptari possit à Logico. Ut id præstemus, præmittimus. Primo: Quæ sint Potentiæ vitales. Secundo: Solam Potentiam propriè habere objectum; minimè verò actus, & habitus. Tertio: Aliud esse à Potentiæ objecto objectum Scientiarum. Quarto: Scientiam in communi, & in particulari accipi posse. Quinto: Scientiarum specificativum ab objecto formali desumendum esse. Sexto: Rationem rebus extrinsecam ineptè à doctissimis viris dici objectum formale, nisi causas, occasiones, & motiva liceat confundere cum objectis. Nuntiam ad objectorum definitiones aggrediamur : *Ratio ob quam res attingitur est objectum formale, & materiale, si Scientiæ sit, ea res est, de qua tractat Scientia; si autem potentia, rem à potentia perceptam nominamur.*

Unde non immerito objectum materiale Logicæ per se constituimus *predicata quævis idemtificata cum modo sciendi*, & objectum formale rationem *modi sciendi, vel in communi, vel in particulari*. Modus sciendi, nec Oratio est consue cognitæ manifestativa, nec Oratio dialectica Artificiosa, &c. sed nos ipsum explicamus : *Cognitio artificiosa edocens intellectum*; non enim aliud cognoscimus *medium sciendi*, quin nos moveat hipocrisis, quam præferat actus falsus. Demonstratio objectum præcipuum est, & dignissimum omnium, quorum aggregatum objectum est attributionis.

Sententias circa universalia, divisiones, requisita, potentias illius effectrices, & explanationem dabimus

quarenti. Ea, quæ in Scholis locum obtinuit, actualis prædicatio subiectum habens singulare, Univerſum non efficit. Univerſalia ſunt Genus Differentia, Species, Proprium, & Accidens. In Generis definitione definitum eſt natura in recto connotans cognitionem in obliquo. Nec genus conſervari poteſt in unica ſpecie, nec ſpecies in unico individuo. Conceptum formare poteſt intellectus, qui Univocus ſit ad omnia individua, & alterum, qui talis ſit reſpectu Prædicabiliſ, atque genus ad ea. De Syllogiſmo, Demonſtratione, &c. roga.

METAPHYSICA.

Eximium *Sapientia*, prima *Philosophia*, *Naturalis Theologia*, &c. nomen accepit. Recentiores iſtam optima methodo dividunt in *Ontologiam*, *Attiologiam*, & *Pneumatologiam*. Nos etiam ſermonem huiusmodi inſtituimus.

Ontologia.

AB Ariſtotele rectè explicatur 3. *Metaphyſicæ*, cap. 1. *Quæ ſpeculatur ens, &c.* Conceptum *ens* univocum adſtruimus ad omnia entia realia, tametiſi unumquodque ſuam habeat ab aliis differendi rationem, quæ differentia eſt, & ſi abſtractiſſimè à Suaristiſ concipiatur, formaliter non eſt ens. Quid ſit veritas fundamentalis, & formalis? Unde iudiciorum noſtrorum veritas, aut falſitas? Quid bonitas fundamentalis, & formalis, quæ moralis pariter dicitur? Exponemus. Unitas tranſcendentalis eſt: *Carentia diſviſionis*. Philoſophi eſt, quæ unitatis, & diſtinctionis genera ſint, explanare. Quæ inter Individui creati *Metaphyſica* conſtitutiva reperitur diſtinctio, non alia eſt quam *rationis ratiocinate*, quæ vulgò dicitur, & verè eſt præciſio obiectiva. Diſtinctio realis moda-

lis

lis inter Peripateticos frequentiſſima, nulla eſt, ne ſine modo entitatus ſuperadditas, & ridiculas admittamus. Quare diverſitas Unionis, Durationis, Subſiſtentia, Actionis, Paſſionis, & Præſentia à rebus, ſic, vel ſic acceptis, opus eſt intellectus cum fundamento.

Poſſibilitatem, Præteritionem, Futuritionem, Exiſtentiam, & Poſſibilitatem putam cum P. Suarez conſtituimus, explicamusque quò pacto rerum eſſentia æternæ ſint. Eas deſtruere non poteſt Deus, ut contradictoria efficiat, quod ſomniaſt Cartefius; cum tamen Dei Potentiam adeò exhaustam depingeret in hypoteſi ſua creationis, ut *qui omnia creavit ex nihilo*, nec aliquid creare, nec minimam materiæ porciunculam (ipſo ſolo teſte) in nihilum reducere poſſet.

Prædicamentum, Ariſtoteliſ diſviſionem, illius eſſentiam, Arborem Porphyrianam, & Pourchotianam dabimus, & ſatiſfaciemus parvi momenti Quaſtionibus huc attinentibus. Quid ſint *Subſtantia*, *accidens*, *ſubſiſtentia ſuppoſitalitas*, *hypoplaſis*, *ſuppoſitum*, & *perſona*? Roga. Incarnationis Myſterium, Trinitatis Arcanum, & Concilium Epheciſum in Neſtorium optimè conciliamus, & ſi ſubſiſtentiam minimè diſtinctam credamus à ſubſtantia tota, & perfectâ. Sententia aſſerens *Quantitatem* idemphicatam cum *Subſtantia* corporea, nobis apparet probabilior, ne ob minuenda miracula in Sanctiſſimæ Eucharistiæ miraculo factorum maximo, rationi, ejuſque principiis non acquieſcamus, cum Philoſophi nominamur.

Qualitates ferè omnes occultæ ſunt: at ita dici conſueverunt, quarum natura latet non magis. Ariſtotelici myſticè, pie, & religioſè ad Deum conſugiunt, & dum de qualitatum cauſis, natura, & rogantur, voces augent, nec minuant difficultatem, & a Deo inditas eſſe rebus, aut à natura proviſas, ſive

impe-

impenetrabiles esse, humillimè confitentur, & magisterialibus vocibus firmant. Novatores Philosophi liberius (ut par est) progredientes, ad mechanicas Corporum affectiones confugientes, ab earum figura, motu, & qualitates omnes occultas oriri arbitrantur, atque roborant. Probabilitas major est in Sententia Modernorum, & juxta eam exponimus: cur corpora quædam *venata sint*, *purgantia*, *narcotica*, *hemetica*, *alexiteria*, &c. De calore, & frigore non sine fundamento opinatus fuit Aristoteles hoc in re ancipiti certum habeo, calorem, nimirum, semper cum aliquo partium motu conjungi, ut nisi caloris natura in illo motu sita sit; sine eo tamen nequeat concipi. *Humiditas*, & *secitas* substantia sunt, aut cum substantia humida quæ evaporatur, expelliturve; sive dum in ejus poros ingreditur licor quivis. *Raritas* in pororum apertione, & *Densitas* in illorum contractione sitæ sunt. *Perspicuitas* recta est dispositio pororum, & *Opacitas* eò Corporibus convenit, quod pororum ordo perturbatus sit, & per anfractus tortuose, atque oblique dispositi sint. Sic dicemus de cæteris qualitatibus. De Relationibus in Palestra.

Ætiologia.

DE Causis est tractatio. Quatuor sunt, *efficientis* nimirum *materialis*, *formalis*, & *finalis* tres ultimas, exemplar, fatum, & fortunam explicamus abundè. Efficiens est: *Principium influens esse in aliud*. Divisiones dabimus, prioritatem, prærequisita, requisita, & impedimenta. Contra Malebranchium, & alios, Creaturis concedimus virtutem effectricem, quin hæc *miseria sit* Philosophia, *aut error ex Pagano-rum idolatria* profectus. Existentia Causæ prærequisitum est essentialiter ad causandum, quemadmodum approximatio naturaliter indispensabilis.

Cau.

Causæ physicae neque se ipsas, nec mutuo se producere valent etiam in diverso genere causæ physicae. Idem effectus *per se loquendo* naturaliter potest oriri à duplici causa totali in actu secundo simul. Substantia creata virtus est immediatè activa alterius, & suorum accidentium, proprietatumque, tam in se, quam in passio, Accidens verò in Substantiam intrare nequit, nisi ut causa instrumentalis, cujus notionem ab Eximio didicimus.

Causa prima Deus est, qui immediatè concurrat, ad effectus Creaturæ, etsi peccaminosos. Decretum Omnipotentia applicativum, Prædeterminationem Thomistarum, Scientiam Mediam nostrorum, & quæ scitu digna sunt, explicamus; verum ea ad Theologiam spectare videmus, & in mensim alienam falcem quis mittit? Nos minime.

Pneumatologia.

DE Deo, Angelis, & Animabus sermonem instituit. Explicemus effecta, ut pervenire possimus ad Causam. Animam incomprehensibilem clamant Cicero, Aristoteles, alii. In vegetativam, sensitivam, & rationalem dividitur. Prima plantis convenit. Quod ad lapides, & metalla attinet, si poros, venas, &c. habeant, illis denegare non possumus vitam vegetativam. Reprobamus Anaxagoram, Democritum, Empedoclem, Manichæos, & alios Animam cognoscitivam, & rationalem tribuentes Plantis, & eam amplectentes Opinione, quæ magis lignea est, quam sint Arbores, quibus patrocinium præbet. Nilominus satisfaciemus his quæsitis: cur palma femina blandioribus, virentibusque foliis in palmam marem accedit, ut in ipsa fecunditas oriatur? Cur quædam plantæ alias amant, & recedunt ab aliis? Cur heliotropium in solem, vel Orientem, vel Occidentem solia

folia vertat? Cur herba, seu arbor, quam Plinius refert applicatam manum refugit foliorum contractione? Et cætera.

Animam nostram Plato, Democritus, Zeno, Leucippus, Epicurus, Stoici, &c. aut fervidum spiritum, ignitum quoddam, aut aliud esse dixerunt. Rejicitur Cartesius, qui Animam in actuali cogitatione sitam esse arbitrat. Accipe dogmata nostrorum. Anima rationalis est spiritualis, immortalis, forma corporis, unica in quolibet homine, & non una in omnibus. Est in omni parte corporis organici: unde à veritate recedunt Plato, Pythagoras, Democritus, Diogenes, Empedocles, & qui unicam corporis partem sedem Animæ putarunt. Displicet etiam Cartesius in glandula pineali eam collocans, & subtilis Leibnitii hypothesis.

Ordinem informationis animæ exponemus cum P. Suarez. Sanguis non animatur, nec pituita, attrahibilis, flavabilis; animantur tamen, caro, nervi, membrana, arteriæ, & similia. Item ungues, dentes, pili, capilli. Hoc simili ratione dicimus de cornuis, & ungulis bestiarum, de squamis piscium, pennis avium, &c. Quia ratione nutritio acidat, explicabimus. Virtus nutritiva principalis residet in hepate. Quid, & à quo fames sit, & sitis? Roga.

Potentias Animæ explicamus, & quæ ad intellectum, Species, Cognitionem, Voluntatem, & omnium attinet perfectionem. Absolutè loquendo status in corpore naturalior animæ est; extensivè tamen in corpore perficitur in ordine ad quasdam operationes, tamen melius intelligat separata à corpore, quam corpori conjuncta.

Ea nunc restat Anima Bruti. Ipsam entitativè distinguere à materia Peripateticorum amplectitur Schola, renunt Novatores. Nobis nostrorum opinio appareat probabilior; risum tamen cohibere non possamus dum

dum Professores Aristotelici, sapientes in voto, & suorum Patrum asseclæ tenaces fidentissimè clamant: *Modernorum Sententia Fidei Catholica ingrata: Moderni delirant: Hæc seminarum, aut Insipientium est Philosophia.* Adeo itaque de atomorum congerie christiana pietate loquuntur, quasi inter orandum atomi exules fieri à Sanctuario Dei, & in Inferno collocari, viderent. Nos etiam Aristotelicas formas credamus, tamen eruditionis gratia, quam amplectuntur Novatores maturioris judicii, exponemus opinionem, & ab Argumentis vindicabimus. Atque in præsentiarum, cum res in lite permaneat, reprobamus pesimam criticam Anonimi Barbadinho, qui nescio quo humore oppressum, in sua studendi methodo, tetricè censet: Clarissimum Feijoo physicum, nec esse, nec posse, quod Scholasticorum formas in delitiis habeat. O Barbadinho! Criticè Modernorum adheres Sententiæ, quam rationes, & experimenta minimè reddunt innegabilem? Aristotelicos reprehendis, cum Modernos censet Philosophi gloria explicandos esse? Verè in quam fecisti, incidis foveam.

Animalia non ex putrescente materia, sed ex ovo generari probabilissimè propugnamus, explicamusque quâ ratione id fiat. Divisibilitas animæ materialis essentialis non est. Sensibile, Visum, Auditum, & alios sensus exponemus. Et cum hic Colores, & Lucem exponere mos sit, facimus, & nos. Lux accidens est absolutum; semper tamen cum aliquo motu celeri, concitatoque, licet non facile percepto, conjuncta: Neque producitur, nisi cum effluxu alicujus tenuissimæ substantiæ à corpore lucido profluentis. Colores nulli sunt apparentes; veri enim, & reales sunt omnes. Lucis modificatio color nullus est. Lux color non est, sed colorata. Color qualitas est absoluta, quæ in corporibus existit, etiam in tenebris.

Angelorum originem, existentiam, naturam, nu-

C

me.

merum, divisiones; munera, & accidentia, velut Philosophi, vel Dionisi, & aliorum conjecturis cadentes, dabimus.

Dei existentiam evidenter convincimus contra perversissimos Atheos, si forte ii illam negare ausi sunt. Explicamus nomina Dei, relationes, attributa, & perfectiones, cognoscimus in Deo esse Scientiam, Voluntatem, Intellectum, & Decreta. Potentia tanta pollet, ut omnipotentia dici possit, & debeat. Creaturis uti potest ad effectus quoscumque aliunde non repugnantes. Infinitum categorematicum producere; Corpora penetrare, & bilocare: Formas inconnexas, & non subordinatas in eadem materia sociare, & sine repugnantia potest. Quod si impossibilia Deus in lucem edere non potest, non id provenit ex defectu potentiae in Deo; sed quoniam in Creaturis impossibilibus potentia deficit, ut à Deo producantur. Imò ejus Omnipotentia cum impossibilibus ipsis non mutuò connectitur, & mutuò cum possibilibus, dummodo possibilia, & impossibilia quidditative accipiantur. Has quaestiones de possibilibus tractant Philosophi nostri, qui cum opera Dei non explicant, ad ejus Potentiam investigandam volatum accipiunt imprudentiores Icaro. Id nos facimus inviti, quoniam servire coacti sumus usui Scholarum.

P H Y S I C A.

Facultas est de Natura, propterea naturalis Philosophia. Ens naturale si fiat per puram generationem, aut si factum sit, materiam, & formam principia physica admittit; per mutationem verò amplius admittit privationem, & per conversionem privationem duplicem, duplicemque formam. Vestigiis inhaerentes D. Angelici exponemus rationes seminales, qui tradidit S. Augustinus.

Ma.

Materiae primae existentia demonstratur. Cur Ægyptii eam *fecem primæ vitæ* dixerunt; *Lunaque* comparabant? Qua de causa *magnus*, & *parvum* dicta est à Platone, ac regio *dissimilitudinis*, *pandecas*, *gremium*, *conceptaculum*, &c. Quid Aristotelem impulit ut eam *Matrem* clamaret? Dicam. Ipsius essentiam metaphysicam Aristoteles optime explicat primo Physicorum textu 8. Secundo: *Primum subiectum*, &c. Quid autem sit essentia physica materiae? Hoc opus. Referam, quæ sunt opiniones Democriti, Epicuri, Gassendi, Cartesii, &c. Plurima falsa esse conspiciamus, & fide credimus in Democriti, & Epicuri sententia. Gassendi, & Cartesii Opiniones, tametsi vera quædam habeant, difficultatibus maximis ansam præbent. Aristotelicæ materiae ideam formare non possumus. Qua de re de omnibus dubitare, omnes refellere possumus.

Est materia. Subiectum præ forma; quia ab hac determinationem accipit, ut speciale compositum constituat. Pura potentia adeò fingitur à Peripateticis quibusdam, ut omni actu expoliata credant. O infelix materia prima, quam pauperem, & humilem desiderant te Peripatetici tui! Nos ei concedimus acrum logicum, & metaphysicum, atque adeò propriam existentiam.

Quis non rideat appetitum materiae, desideria, gaudia, & pro formarum varietate, fruitione, absentia, amore omnium? Mihi hæc potius Poetarum figmenta, quam Philosophorum videntur placita. Plura pramittimus, ut statuamus formas quascumque substantiales aequales materiae affectioni. Naturaliter esse nequit, quin aliqua ei assistet forma, & si subordinata sint formæ, tot dantur, quot partes.

Materiam inter, & formam unio est, quæ ab illis realiter adhuc modaliter diversa non est, sicut nec totum compositum à partibus unitis. In hoc na-

C 2

tum

tum est. Quid natura? Quæ entia natura sint? Quæ re. Naturam Ars imitatur in pluribus; per se tamen efficere non potest opera naturæ, etsi mirabilia arte patrata Historiæ offerant. Magiam diabolicam, naturalem, & artificialem explicabimus, & quo pacto prima cognosci possit? An usus supersticiosa Magiæ ex aliquo capite justificari possit? An diabolica possit aliquam substantiam, præsertim viventem per se producere, ut de impiissimo Lutero fertur? An Magi veram acquirant potestatem in Dæmones?

Quid sentiendum de imaginibus ceræ, metallorum, &c. quæ certa efformata figura, aut ad certas constellationes fabricatæ vim dicuntur habere rerum mirabilium? Alchimiam etiam, Crysopejam, & Lapidem philosophicum non ignoramus, & philosophicè possibilitatem auri artificialis adstruimus, tamen criticè negemus aurum factum esse.

Corpus, quod reliquimus, divisibile est, sed quæ divisibilitate? Laberynthus est, cui non sufficit Ariadnæ filus. Quæ opiniones sint Philosophorum, didicimus, & neminem sequimur mediam arripientes viam, dum Sapientum judicio humillimè proponimus, quam negare nequeunt, continui divisibilitatem in indefinitum. Cetera ignoramus. Itaque amplius, quam humanam mentem pervenire minimè posse ad ultimum divisibilitatis terminum, quis novit hucusque?

Corpus item in loco est, quin præsentia illius modus sit superadditus realiter. Naturaliter nec idem corpus in duplici loco potest collocari, nec in eodem loco duplex corpus. Motus localis rectè explicatur: *Successiva locationes, quibus res diversis locis correspondet*; quies verò: *Continua rei locatio in eodem loco*. Intelligere oportet eam, quæ est, differentiam loci absoluti, & respectivi, ne credamus Cartesio, qui motum localem translationem, dixit, corporis à proximitate horum corporum ambientium ad propria-

qui-

quitatem aliorum. Rejiciendi pariter sunt Heraclitus, Cratylus, Empedocles, & omnia semper moveri judicantes, & qui numquam moveri corpora dixerunt Parmenides, Xenophanes, Melissus, Zeno, Pirrhoneci, & alii, quorum argumenta Diogenes solidè enervavit deambulando. Originem, causam, proprietatesque motus dabimus.

De Gravitate oriri putamus à maxima densitate materia. De levitate, & Aristotelicorum quorundam absolutam levitatem, & levitatem respectivam Novatorum (nobis probabiliorē) explicamus. Quid sint motus projectorum, pendulorum, elasticus, &c.? Dicemus rogati. Solvemus etiam hæc dubia: an motus quantum est ex se semper dirigatur per lineam rectam? An mobile in puncto reflexionis aliquando quiescat? Quatenus moveantur globus à tormento bellico excusus, sagitta emissa, ventus impetu concitatus? Quæ ratione animalia motum progressivum efficiant? Quomodo contingat avium volatus? Quo ordine funambuli perfectionem progrediantur, atque in ea varios motus faciunt admirabiles? Quæ industria felices ex alta rupe, aut turri correpti plerumque pedibus prius, quam alia corporis parte terram attingunt? &c.

Duo restant, ut Corporis habeamus notionem, duratio, nimirum, & vacuum. Vacuum definimus cum Aristotele nostro. Disensiones Authorum vidimus, quorum Aristoteles, cum Cartesio possibile vacuum non credunt, & contra Gassendus cum pluribus. Certè vacuum diffeminatum impossibile minimè probant Aristotelicorum, & Cartesii rationes: Unde non improbabilem putamus existentiam illius, imò, & verosimilem cernimus, adhuc in ipsa materia subtili, æthereâ, seu Cartesiana, quæ condensari utique potest. Durat etiam corpus, sed non per durationem distinctam à corpore, & tempore conjunctis.

Mun-

Est *Compages à Cælo, & Terra coaugmentata, atque ex iis naturis, quæ in ea continentur.* Quæ de ipso antiquitatis Philosophi? Dicemus. Unicus est, licet plures possibiles sint. Opus est perfectum, quin eum ordinatius conficere potuisset Alphonfus Rex. Non est animal quoddam, cujus oculi stellæ, Sol cor, &c. neque substantia unica materialis, æterna, necessariaque; sed id est, quod diximus, collectio omnium.

Ab æterno non fuit; ut autem quo tempore creatus est, stabilimus, principia adjungimus Chronologiæ. Hæc est: ratio temporum, & Kalendarium, diem, mensem, hebdomadam, annumque explicamus, & quæ varietas in die numerando apud Turcas, Boemos, Græcos, Gallos, & alios fuerit, & sit. Item quid dies naturalis sit, artificialis, solaris, & sydereus: A quo mense Hebraei, Ægypti, Romulus, Numa Pompilius, &c. annum inchoarunt: Quid periodus sit, Ciclus Solaris, Ciclus Lunar, indictio, & periodus Juliana: Quæ sint septem Sacræ Epochæ, Epochæ plurimæ prophanæ usque ad eam, qua Cæsar-Augustus Hispaniæ imperare incepit, & quæ his litteris exprimebatur A. E. R. A., id est: *Ab exordio Regni Augusti*, quoad usque incisita scriptorum ob eorum litterarum conjunctionem dicta est *Hæra*. Jam nos hunc annum 1762. credimus esse creationis Mundi 5767. Tamen Philosophiæ Tyronibus improprium esset opinionem hanc ab Argumentis vindicare; sat enim est exponere.

Creatus probabiliter Mundus fuit verno tempore, & in æternum durabit quoad Beatorum, & Damnatorum sedes. Quando erit dies judicii? *De illo die nemo scit*: Unde Prophetiæ Eliæ, Malachiæ, & aliis sanctissimis viris tribui solitæ, apochriphæ sunt, vana,

næ, & inutiles. Mundi figura spherica est, & perfecte rotunda. Ordinem, quo Mundus in lucem prodiiit, Moyse divinitus inspiratus scripsit, cui narrationi conformis parum videtur opinio eorum, qui unico instanti Mundum productum esse affirmant.

Cosmographia est: *Universi descriptio Spharæ Cælestem, & Terrestræ comprehendens.* Spharæ explicamus, Spharæ armillarem, centrum, polos, axem, circulos, & quæ pro Cosmographia capienda necessaria sunt. Simili ratione exponimus Geographiam, Corographiam, Topographiam, Hidrographiamque. De Globo terraqueo sententias Antiquorum, & Modernorum novimus; sed cum res demonstrata non sit, statuimus Globum terraqueum quoad sensum saltem esse globum. Principia hic jungimus, & modum quo metiuntur Nationes, Galli, Romani, &c.: explicamus Stadium, lineam, pedem, hexapedas, &c. cum Leuca Hispana, Germanica, Gallica, Moscovitica, & aliis. Denique Systemata, quæ Ptolomeus, Copernicanus, Galilaus, Descartes, Ticho Braheus, &c. tradiderunt, explicamus, & statuimus penes præcipua capita, quæ alibi suis in locis recensimus, Systemata Tichonicum amplectendum esse.

Elementa.

Quatuor sunt, cum percipere non possumus quintum elementum Cartesii, quod falso dicitur agnovisse Aristotelem in Lib. de Cælo, Mundo, &c. Elementa generabilia sunt, & corruptibilia, atque differunt substantialiter. Eorum formæ initio Mundi educæ fuerunt, non creatæ. Nullum elementum aliud in se transmutare potest.

Terram siccam esse conveniunt omnes; nos vero eam, neque calidam, neque frigidam intrinsicè admittimus, sed dumtaxat extrinsicè, quo magis, aut minus

minus abundet salibus, nitro, &c. Partium terrestrium figura quamdam humani corporis formam præfert; incertum tamen est, quænam sit figura terræ intima, & oculis nostris impervia, tamen si plura hac in re, fingantur deliria. Fecunditas terræ à sale provenit, quem Globo terraquo Deus indidit. Hic explicamus: cur aqua blandè decidens terram penetret magis, quam imbres horrida tempestate delapsi? Quæ de causa imbres licet ingentes ad terræ certam profunditatem tantum pertingant? Quid utilitatis afferant terræ tot montes? Quænam sit montium altitudo? Cur montes nonnulli ignivomi sunt, & inde oriantur fragor, cineres, lapides, ignei flubii? Quid dicendum de terramotu? Quid sint cabernæ exi-
tiales? Et cur non tandem consummantur materiæ illæ?

Aqua fluida est, diaphana, ex se saporis experta. Quid ultra de ejus natura? Philosophi loquuntur aliquid, dicunt nihil. Verosimilius judico: aquam, ut à Cartesio exponitur, constare atomis lubricis, oblongis, flexibilibus, levibus, &c. ut explicemus hæc mysteria: cur aqua facillimè etiam à subtilissimo aere agitur? Cur aqua facilius in vaporem abeat, quam liquores alii? Cur minus corporibus adhæreat? Cur aqua vix comprimi possit, cum facillè dilatetur?

Aqua purissima difficulter potest reperiri. Si colorem, odorem, aut saporem habeat, à particulis admixtis repetendum est. Maxima est aquæ gravitas, & summè rarefieri potest. Quæ sit limpida? Quæ turbida? Quæ ad potum salubrior gravior, an levior? Quomodo noscenda est aquæ levitas? Roga.

Fontium non unica est causa. Si fontium origo altior non sit maris superficie, oriuntur à mari; si vero fontium origo altior sit maris superficie, ab imbribus, & nivibus. Alii denique fontibus à vaporibus.

bus. Explicamus: cur aqua è mari Orta dulcis evadat? Cur fontes quidam æstum maris imitantur? Quid dicendum de fontibus summè frigidis, aut summè calidis? Quid de aquis mineralibus? Quid de nobis proximo fonte apud Paracollium prope Bilibilim?

Exponimus profunditatem, & altitudinem maris, bosphoros, sinus, frata, vortices, abyssi, scellam, & charibdim, & postquam maris motus varios cognoscimus de incomprehensibili æstu, seu fluxu, & refluxu sententiam amplectimur Dechales, & Kirquerii.

Aer ex natura sua non est humidus, nec calidus, sed est: *Elementum maximè fluidum, & diaphanum*. Hæc in aere experimur. Aeris natura nobis est occulta, & solum ex effectibus cognoscenda. Aer facillimè fluidus est: est luminis, & aliorum corporum vehiculum, quo Cælum, & Sydera sua cum terris exercent comertia: Spirabilis est, & animalium fovet vitam: Nequaquam constare potest ex solis terræ vaporibus, aut fumi: Plurima, quæ aeri tribuuntur, non sunt propria aeris, sed adventitium particularum, & inde oritur varia temperies in diversis regionibus. Item aer gravis est, elasticus, videtur, colorem habet, & non est perfectè diaphanus.

Ignis natura non facillè explicari potest à Physicis; novimus tamen opiniones. Triplex est ignis. Primus: lucet, & non urit, ut flammula Ascantii, servi Lullii, &c. Secundus: urens, & non lucens, ut qui in petris, aquis causticis, &c. reperitur. Tertius est: qui simul ardet, & lucet. De hoc sermo præcipuus. Verosimillimum est primo: ignita corpuscula volvi summa velocitate, & utrolibet agitari, vibrariq. Secundo: ignis elementum, & ab aliis elementis esse diversum, & conjungi cum corpusculis.

culis salinosis, sulphureis, nitrosis, oleosis, &c., quæ ignis pabulum sunt. Quinto: ejus centrum medium terræ esse, & fictitiam sphaeram illam in concavo Lunæ positam ab Empedocle, &c. Quomodo ignis calefaciat, liquefaciat, & comburat? Dicemus.

Explicamus nobiliora ignis phaenomena his, & aliis, quæ exponimus, problematibus: cur carbō vix flammam concipit, cum lignum facile inflammetur? Cur ticio extinctus videtur majorem fumum ejicere, quam accensus, cum ita non sit? Cur ignis in camino minus noceat, quam in cubiculorum prunariis? Cur non minus, sed fortasse plus nocu-menti afferat exhalatio carbonis bene accensi? Quare ascendente flamma, ascendit etiam fumus? Quid sit de tanto fumo sursum appulso? Cur candela modo extincta, si altera accensa approximetur, primum reaccenditur, licet ab accensa non tangatur? Cur in cereo accenso, aut in lampade, partes oleosæ versus flammam continentur, fluunt, atque una post aliam ascendit, & ardet? Quare ii, qui valde frigent, si ad ignem copiosum accedant, dolorem sentiunt? &c.

Corpora Cælestia.

Cæli tres tantum sunt. Non sunt entitates simplices, sed compositæ. Non sunt animati. Probabilius est non esse incorruptibiles. Cælum Empyreum magna ex parte est solidum; reliquum vero, quod est à fundamento Empyreici deorsum, fluidum est totum, liquidum, & diaphanum. Cæli (de Empyreo non divinamus) moventur, non ab intrinseco, sed verosimilius est moveri ab intelligentiis, seu Angelis.

Utrum Cæli, & cælestia corpora influant in sub-
luna-

lunaria? Pudet longo sermone ea omnia excutere, quæ de Astrorum influxu mentiuntur, qui dicuntur Astrologi, & verè sunt inscitiae judicariæ, & divinatoris alumni. Horum prædictiones plurimæ superfinitiosæ sunt, ridiculæ, & fatuæ. *A signis Cali nolite timere.* Quæ tamen Astrologi asserunt, novimus, & refutamus, præcipuè Planetarum domos, gradus signorum, situm, aspectum, numera, &c. Similiter damnamus annos formidandos, *dies criticos, annos climatæricos, seu seculares, &c.* Nuge enim sunt istæ. Nilominus, quod Cæli, & Astra in sublunaria influant, mutationesque, alterationes, &c. in ipsis efficiant, innegabile est. Quo pacto? Dicemus.

Sol

Planeta est, cujus figura rotunda est, & sphaerica: cujus substantia ignea est, fluida, jugi motu agitata, flammarum vortices evomens, & resorvens; incertis tamen legibus, & periodis. Quotuplex sit Solis motus, periodus, seu revolutio, distantia à terra, magnitudoque? Verosimilimum amplectimur. Sol suas habet maculas, quas ope telescopii invenit, aut Galilæo de Galilæis, aut Jesuita Scheinerus. Macula illæ non sunt nisi meteoræ quædam, exhalationes, & fuligines è Sole, ejusque ignito corpore erumpentes, quæ ab ipso rapiuntur, mutantur, absorventur, &c.

Luna

Corpus est ex se diaphanum, natura sua fluidum, legibus à Conditoris potestis aequilibrio suo, & orbita continetur, sphaericum est. Lunæ superficies aspera est, neque aliud maculæ sunt in Luna repertæ, quam inæqualitates, & ab his factæ umbra. Concedendi igitur Luna Valles, & Montes; ut terræ; reliqua, quæ alii in Luna fingunt, ut homi-

homines; maria, &c. rideo. De Lunæ motu, magnitudine, & à terra distantia, nobis appareret verosimilior opinio Celsini.

Planeta reliqui, & eorum lux, & Eclipses

Sunt *Mercurius* gibbosus, *Venus* pulcherrimus, qui dicitur *Phosphorus*, *Lucifer*, *Aurorifer*, & *Hesper*, *Vesper*, & *Vesperugo*, *Mars*, *Jupiter* cum ejus Satellitibus quatuor *Saturnus*, cum quinque Satellitibus. Hos explicabimus rogati. Deveniamus nunc ad Planetarum lucem. Sol proprio resplendet lumine. Planetæ reliqui à Sole lucem hauriunt primariam. De secundaria cenſeo ab alio etiam corpore in Planetas reflecti. Quomodo eclipses eveniant in Sole, & aliis? Exponemus. Nihil timendum est à Planetarum eclipsibus, ut trepidat plebs rudis.

Cometa

Variæ sunt eorum differentia; præcipui tamen sunt *Crinitus*, *comatus*, & *caudatus*. Quid sint cometa? Nullus Philosophorum mihi satisfacit. Quid in eorum sententia, aut quæ amplecti possit? Nescio; licet mihi magis probetur eorum opinio, qui asserunt: Cometæ esse Astra Mundo coæva, quæ pro centro solem habent, sed in circulo amplissimo inter Jovem, & Saturnum decurrentia, quæ eadem consent materia Planetarum, sed aliter combinata, ut transitum permittant Solis radiis, qui variè in capite Cometæ refracti, modò crinem, modò barbam, modò caudam exhibeant.

Stella fixa

Supremam Cæli ætherei partem occupant. Non sunt clavix affixæ, nec motu carent, sed etiam
mota

mota eundem ordinem inter se servant. Sunt corpora ignea, fluida, ut Sol. A se lucent. De motu, velocitate, distantia, magnitudine, situ, & numero, certa tantum trademus rogati.

Mixta

Perfecta sunt, & imperfecta. Omnia exponemus. Meteora terrea pro communi materia habent halitus. Quis sit vapor, exhalatio, spiritus, horum proprietates? Dicam. Unde tanta vis halitus, & quænam causa eos sursum pellens? Exponam, sicut ea quæ dicuntur meteora terrea, fumus, fuligo, cinis, &c.

Meteora aquea ex vaporibus efformantur. Sunt Nebula, Nubes, Ros, Pluvia, Nix, Grando. Hac explicantes solutionem paramus his quaestis: quomodo particulæ aqueæ aere graviore ita attenuantur, ut ascendant? Cur in locis mari, & fluminibus proximis, plures concreſcunt Nubes, & Nebula? Cur in Ægypto, & aliis calidissimis locis raræ nubes, & pluvia? Cur nebula non semel plantis, & hominibus nocentissima sunt? Cur sæpè in vicinis montibus ningit, & in valle pluit? Cur sæpè simul ningit, & pluit, vel simul pluit, & grandinat? Cur homines aliqui plubiam præsentunt? Unde ante plubiam gallinarum volutatio, lignorum stridor, dolor aliquarum partium humani corporis? Unde boves erecto collo Cælum suscipiunt, muscæ acris pungunt, & formicæ in earum subterranea domo se recipiunt? Cur nix aqua est frigidior, terram fecundat, & in flocculis quasi Stellas depingit? Quid dicendum de pulvere, & palleis in grandine re-pertis?

Meteora ignea componi dicimus, si è globo teraqueo halitus vituminosi, sulphurei, salini, &c. sursum

sum pellantur. Fulgura, & tonitrua exponimus, si-
cut causam cur prius videatur fulgur, quam toni-
trum audiatur? Cur non semel inter tonandum vi-
trum in doliis perturbetur, & reddatur acetum? Cur
tonitruum nonnumquam sequitur pluvia? Circa ful-
men dicimus primo: non est lapis. Secundo: est exha-
latio densior suprà accensa, & ferè semper è nubibus
magna vi erumpens. Tertio: non semper descendit.
Quarto: constat particulis sulphureis, nitrosis, vi-
triolicis, aluminosis, volatilibus, viscosis, pin-
guibus, vituminosis, & penetrantibus. Hoc novi-
mus ex effectibus, & hac doctrina dicemus: Quare
Corpora fulmine percussa sulphur redolent? Quare
animalia, quæ interimit, à corruptione servat ful-
men? Quomodo hominem interficiat, quin in eo
signum læsionis invenias? Quare enslem liquefacit
non læsa vagina? Quare corporibus tenacissimè ad-
hæret, & interdum nec in aqua extinguitur? Mini-
mè credimus laurum, aut corpora alia non lædere
fulmen; credimus tamen Campanas præter finem à
Sancta Ecclesia prævisum, naturali ratione exha-
lationes dissipare posse. Ex his explicamus: *Ignes fa-
tuos, quos Nautæ vocant Sancti Telmi, ignem lamben-
tem, Stellæ eas, quas sæpè cadere, & aerem decur-
rere videmus, &c.*

Meteora aerea, & lucida sunt Ventus, Iris, Ha-
lo, Virga, Aurora, Crepusculum, Parhelium, &c.
Omnia diffusè exponemus roganti. Et hæc sunt Mix-
ta imperfecta.

Mixta nunc veniunt perfecta, & quoniam viven-
tia suum habent specialem tractatum, hic de inani-
matis, & non viventibus sermo instituitur. Primo
occurrunt sal, & sulphur. Quid sit sal marinus, fos-
silis, & artificialis? Quid nitrum, alumen, vitrio-
lum, sal ammoniacus, & quæ ex illis fiunt aquæ
stigiæ, fortis, &c.? Quid vitrum, & ejus species?
Non

Non ignoramus. Inter vetumina nobilius est *succi-
num*, seu *electrum*, quod ab Antiquis immerito cre-
ditum fuit ab arboris destilari. Quatuordecim electri
proprietas explicamus, & asserimus: Vis electrica
consistit in tenui, pingui, & viscoso halitu è corpo-
re electrico erumpente.

Jam de lapidibus, gemmis, & metallis agamus.
Inter lapides recententur arena, argilla, silex, sa-
xum, marmora diversi generis. Neque aliter viden-
tur gemæ, seu lapides præpositi, & ferè agnovimus
modum quo natura gemmas elaborat, quem explica-
bimus. Item: qua ratione, dicimus, fieri, ut in qui-
busdam lapidibus cernantur figuræ externæ planta-
rum, &c.? Qua ratione particulæ quædam ferri, spi-
narum, &c. reperiantur in lapidibus? Cur sæpè plan-
ta, ligna, & arbores integrè lapidescant, ut di-
citur?

Metalla sunt aurum, argentum, cuprum, stag-
num, ferrum, plumbum. De mercurio, nec conje-
cturam quis potest asserere? Metallum definitionem, Cau-
sam, materiamque explicamus, & proprietates om-
nium. Magnes fossile quoddam est, quod ad metalli
naturam, potius quam ad lapidem videtur accedere.
Sententias omnes referemus; sed quæ est probabi-
lior? Veneremur Dei sapientiam, & ab humana Phi-
losophia minimè spectes omnia.

FINIS.

IMPRIMATUR.
D. Joannes Antonius Perales,
Decanus, & Vic. Gener.

Fr. Laurentius Villanova,
Minist. & Stud. Reg.

Non appropinquat inter vestimenta nobiliora et
 non, seu vestimenta, quod ab antiquis immo-
 ditum fuit ab apertis vestimentis. Et
 proprietas explicans: Et vestimenta: Vis
 consistit in tenui, pingui, & viscoso huiusmodi et
 re claudere transpirationem.

Jam de lapidibus, gemmis, & metallis agemus.
 Inter lapides recensentur arena, argilla, lignum,
 solum, marmoreus, sive et generis. Inter istos videtur
 sui generis, seu lapides proprii, & inter gemmas
 modum quo variis gemmis, sive apertis, quoniam explicat
 pinus. Item: duo rationes, dicimus, fieri, ut in quibus
 bullant lapidibus recensentur figurae, etiam istas
 tum, &c. Quia rationes pariter etiam sunt, per
 naturam, hoc experimentum in lapidibus. Cum lapides plan-
 tes, sive, & apertis inter lapides, ut di-
 cimus.

Metalla sunt aurum, argentum, cuprum, ferra-
 tum, stannum, plumbum. De mercurio, nec conser-
 tuam quis potest asserere. Metalli definitionem, Can-
 tem, inter lapides explicamus, & proprietates om-
 nium. Metalla ista quoddam est, quod ad metalli
 naturam, potius quam ad lapidis, videtur accedere.
 Generatim omnes recensimus: sed quis est quod di-
 citur? Venetum De lapidibus, & de metallis. Ibi
 philosophia istiusmodi locos omnia.

FINIS.

IMPRIMATUR.
 D. Joannis Antonii Paviae
 Petrus de V. G. Cur.

